

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7435

**Autre(s) référence(s) :** Round 573

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Mézidon-Canon, Sainte-Barbe-en-Auge (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1185-1189]

**Lieu d'émission :** Bur

**Action juridique :** confirmation générale

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Confirmation générale des biens appartenant au prieuré de Sainte-Barbe-en-Auge.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DCCLVI, t. 2, p. 402-408.

### Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 573.

Texte établi d'après a

H., Dei gratia rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus, et omnibus baillivis et fidelibus suis, salutem. Sciatis me concessisse et presenti carta confirmasse ecclesie Sancti Martini et Sancte Barbare de Eschαιοlet et canonicis in ea Deo servientibus in perpetuam elemosinam omnes subscriptas rationabiles donationes sibi factas et cartis donatorum confirmatas. Ex dono Rabelli Camerarii et confirmatione ipsius, in Anglia, totum manerium de Bekeford cum omnibus pertinentiis suis, ita bene et quiete et libere, sicut Willelmus camerarius, pater ejus, melius et liberius et honorabilius tenuit tempore H[enrici] regis avi mei ; in Normannia, terram in marisco de Perceio, ad focum suum in perpetuum, libere et quiete, sicut Rogerus de Pilevill[a] eis dederat, et quecumque eisdem canonicis ab hominibus ejusdem camerarii data sunt vel quodcumque rationabiliter dabuntur, vel venundabuntur vel excambientur, secundum quod continetur in carta ipsius camerarii. Ex dono Willelmi Camerarii, filii Rabelli, in bosco suo de Colestewurd[a], closturam et furnillam (sic) et quietationem pasnagii, et pasturam animalibus eorum. Ex dono Amaurici de Sabuleio, libertatem et quietantiam de teloneo et omnibus consuetudinibus et exactionibus in Guaceio et in omni terra sua, ipsis canonicis et hominibus sub eis in feodo ipsius Amaurici degentibus. De excambio Joscelini de Perceio et Rogeri et Roberti, fratrum ejus, terram quam habebant inter vineas canonicorum juxta ecclesiam Sancte Barbare. Ex dono Alexandri de Botemont et Johannis et Willelmi, filiorum ejus, decimam carruce sue dominice apud Rovras, et decimam molendini sui ibidem, et tres sextarios annone per annum, in

predicto molendino, de proprio remanenti post datam decimam. Ex dono Alani de Falesia, quicquid clammabat in ecclesia de Ulwilla, et duas garbas decime de terra sua de Esnis. In feodo Mascei Buschardi et Roberti Buschardi quod tenent de camerario apud Boevillam, partem illam decime quam Rogerus Lupellus et Willelmus, nepos ejus, dimiserunt ecclesie Sancte Barbare. Ex dono Philippi, Baiocensis episcopi, petitione et assensu Hugonis de Monte Forti et Walteri de Pinu, ecclesiam Sancti Laurentii de Montibus, cum omnibus decimis et elemosinis terrarum ad eam pertinentibus, liberam et quietam a sinodo et circata et auxiliis, et homines in elemosina ejusdem ecclesie manentes, liberos et quietos ab omni servitio et auxilio. Item ex dono ejusdem, petitione et assensu secularium dominorum Willelmi Tanetin et Durandi de Diva, apud Braium, ecclesiam Sancti Albini, cum decimis cantarie et elemosinis ad eam pertinentibus, et cum terris eidem ecclesie datis seu rationabiliter dandis in elemosinam. Ex dono Willelmi de Crievecuer, quinque sextarios ordeï et unum frumenti in molendino suo de Vendobrio, et vavasorem unum, scilicet Ricardum Favele, cum feodo suo. Ex dono et concessione Gilleberti Jumel et Rogeri filii sui, terram quam tenebat de Rogero de Cumbrai subter monasterium Beati Paterni de Esnis sitam, ab omni exactione quietam, in feodo et hereditate possidendam, pro reddendis annuatim eidem Gilleberto et heredi suo ad feiriam de Prato sex solidis Andegavensium, et tribus panibus et tribus caponibus ad Natale, et sexaginta ovis ad Pascha ; preterea decimam duarum garbarum de feodo ipsius Gilleberti. Ex compositione facta inter canonicos et conventum Sancte Marie super Divam, medietatem decimarum tocius feodi Wigani et tocius feodi Chaffrai, tam in duabus garbis quam in tercia. Ex concessione Frogeri Sagiensis episcopi, quicquid juris Ivo de Spata habebat in ecclesia de Brolio, sicut ipse Ivo eam refutavit et reddidit in manu ipsius episcopi. Ex donatione et concessione ejusdem Frogeri Sagiensis episcopi, presentatione et assensu Roberti de Saukeinvill[a] et Luce sacerdotis et Ricardi fratris ejus, ecclesiam Beati Hilarii de Centilleio, et quicquid juris inde ad eos pertinebat. Apud Esnas, quicquid ecclesie et canonicis Sancte Barbare datum et concessum seu venditum est a Willelmo Burdun et ab hominibus suis ipso concedente et confirmante, secundum quod determinatum est in carta ipsius Willelmi. Ex donatione Gilleberti filii Ricardi de Ruvris et concessione et confirmatione Walteri Rothomagensis archiepiscopi, totum illud beneficium apud Rovras quod ab antecessoribus predicti Gilleberti assignatum fuerat pro celebratione trium missarum in ebdomada, sicut melius et plenius tenuit illud idem beneficium Ansgotus capellanus vel aliquis predecessorum suorum. Ex presentatione Willelmi filii Johannis et Willelmi de Gloz, et confirmatione Frogeri Sagiensis episcopi, ecclesiam Sancti Audoeni de Occhan., cum omnibus pertinentiis suis. Ad presentationem Rogeri Malfillastre et Guidonis de Bosviler, concessione et confirmatione Henrici Baiocensis episcopi, ecclesiam de Coutum, cum omnibus elemosinis et terris eidem ecclesie datis a dominis et parrochianis ejusdem ville. Ad presentationem Serlonis de Graie, concessione et confirmatione Henrici Baiocensis episcopi, ecclesiam de Graie cum capella de Sancta Cruce et omnibus aliis pertinentiis suis in terris et decimis et oblationibus et omnibus aliis rebus. Ex compositione facta inter ecclesiam Sancti Georgii et ecclesiam Sancte Barbare super capella Sancti Michaelis de Colebosc, decimas molend[ini] de Meisnil Girold[i], et decimam molendini de Venoiz, et decimam molendini de Tur, et decimam Camerarii apud Baiocas, et eciam decimam molendini de Viana, in excambitionem pro redditu quodam duodecim solidorum, quos canonici habebant de Ricardo de Axevill[a] apud Dunum ; insuper et vineam que dicitur Sancti Georgii, canonicis habendam in perpetuum, liberam et quietam. Ex dono Gaufridi de Bruecort, et concessione et confirmatione Ricardi Constanciensis episcopi, ecclesiam Sancte Marie de Savigneio cum omnibus pertinentiis suis, et decimam molendini de Savigneio, et campum sub Plaisseio, et totum quod Gaufridus habuerat prenominatus in dominio suo apud Poteriam, et criptam que est inter ecclesiam et fontem Gaii, totamque terram ejus de dominio inter monasterium et molendinum ; apud Sauceium, molendinum, et quicquid habebat in bosco et plano, exceptis vavasoribus, terram quoque quam Willelmus Dimidius Albus habuerat de eo in vadimonio, et decimam frumenti et avene reddituum ejus apud Esturvillam et Fucarvillam, et molendinum ejus de Fucarvilla, et dimidiam feiriam de Savigneio ; decimam quoque omnium ejus reddituum in Anglia et Normannia, nisi quam alia perceperit ecclesia ex donatione canonica. Ex compositione per Arnulfum episcopum Lexoviensem facta inter memoratos canonicos et monachos Gristan[enses], medietatem decimationum ville de Odonis marisco, ita quod communi tam monachorum quam canonicorum sumptu ad communem utrorumque grangiam comportentur, et ibi equaliter dividantur. Ex confirmatione Arnulfi Lexoviensis episcopi, ad consensum et petitionem Hugonis de Wigetot et Willelmi de Puntfol, ecclesiam Sancti Martini de Puntfol in perpetuam elemosinam, cum omnibus pertinentiis suis, tam in decimis quam in terris et hominibus et elemosinis et omnibus rebus ad eam pertinentibus libere possidendam. Ex dono prefati Hugonis de Wigetot, teneuram de dominio suo apud Rocham, quam in feodo tenebant de eo Rogerus Pastinaca et frater ejus, et apud Wigetot bordagium Durandi Beku, et in Monte Rocherel terras ad vineas faciendas ; apud Altarel unam acram prati. Ex dono Roberti de Monte Forti et confirmatione Arnulfi Lexoviensis episcopi, et assensu et concessione Walteri de Sudleio totam ecclesiam Beate Marie de Pleisseicio

Ermengardis et prebendas omnes, cum omnibus pertinentiis suis, in perpetuam elemosinam, liberam et quietam ab omni exactione et servitio seculari ; et ex dono ejusdem Roberti, terram ultra nemus que vocata est terra Palefridi, et unam acram prati de Asevilla, et nemus inter duos rivos, et id quod habebat in bosco communi, et decimam censuum ville, exceptis burgensibus, et decimam regardorum in panibus et gallinis et ovis, et in immunitatem ab omni consuetudine in mercatis et nundinis suis ad usum eorum, et quietationem in molend[inis], pasnagium quietum in forestis suis, et clausum Gaufridi sacerdotis. Ex dono et confirmatione Arnulfi Lexoviensis episcopi, assensu capituli Lexoviensis, quietanciam telonei et passagii in civitate Lexoviensi et banleuca de omnibus rebus que venduntur et emuntur (sic) ad usum principalis domus Sancte Barbare et domus de Meisnil Geroldi. Ex dono Roberti Lovel de Salquantia, et assensu Agnetis uxoris sue et Elie et Thome, filiorum suorum, totam teneuram Girardi Rampodne apud Boterelli Villam, in liberam et perpetuam elemosinam, et donationem unius acre terre et fere dimidie apud Boterelli Villam, inter mansuram Geroldi Fantelin et masuram Gerardi Monachi, et donationem cujusdam mansure de feodo ipsius Roberti apud Condeium, quam Radulfus filius Einardi concessione ejusdem Roberti eis dedit in elemosinam. Ex dono Roberti et Ade, filiorum W. Lovel de Salquantia, tredecim virgatas prati in Malepario, et unam acram terre apud Ketelvillam que Curta Acra vocatur. Ex compositione inter sepepredictos canonicos et Galfridum de Meisnil Malgeri facta de pratagio pratorum suorum, in prataria de Meisnil Malgeri id quod ipse Galfridus quietavit eis de toto pratagio et custodia et omni eo quod clamabat in predictis pratis, sine omni reclamacione in posterum, tam ipsius Gaufridi quam heredum suorum, ita quod canonici habebunt custodem suum in omnibus pratis suis, exceptis illis que habent in liberat[i]onibus prefati Gaufridi, et pertica sua metiuntur et distribuuntur, que ejusdem Gaufridi pratarius salva et integra custodiet, nichil pro custodia ab eis exacturus sive petiturus ; et si in tempore falcationis prata illa depasta fuerint vel secata, de meliori feno ipsius Gaufridi faciet idem Gaufridus totam depasturam illam vel secaturam competenter operire. Ex concessione autem ejusdem Gaufridi donationem pratorum, que dicuntur prata Lupelli, que sunt de feodo ipsius et ad sacristam Sancte Barbare pertinent, quam fecerunt Willelmus de Chierne et Aelicia de Canun, quibus sepepredictus Gaufridus dedit omnimodam quietanciam de omni pratagio et custodia et a quocumque clammabat in eis. Ex concessione Roberti de Abelon et Basilie uxoris sue et Willelmi filii sui, donationes quas Robertus Agnellus, pater uxoris Roberti de Abelon, eidem ecclesie fecit in perpetuam elemosinam de decima vini quod Robertus Agnellus habebat apud Canun de pressuragio et comparationibus ; decimam quoque dimidii molendini quod idem Robertus habebat apud Canun, et decimam regardorum et gersummarum et anguillarum ; terciam etiam partem decime tocius bladi, lini quoque et canabe, teneure sue quam tenebat de feodo camerarii in parrochia de Canun, et duas partes decime tocius teneure Godefridi de Fontenaio in eadem parrochia, quam decimam Rogerus clericus de Fontenaio leprosus tenebat de ipso Roberto Agnello in supradicta parrochia ; donationem etiam terre quam Turstinus de Vernolio fecit eidem ecclesie juxta Sanctam Mariam de Hecco, et unam acram juxta domum Leodegarii, et unam acram quam Gerv[asius] prepositus tenebat, et tres virgatas de advocacione prefati Roberti juxta terram Helleranni, et terram que dicitur Saltum Canon[is] juxta Mirebel, et unam acram terre quam Geroldus Parisius tenet juxta terram Roberti Cati ; et duas acras terre juxta predictum Saltum Canon[is] ; et quatuor acras et dimidiam ad luminare ejusdem ecclesie ; et tres virgatas terre quas Theodoricus de Ebrol[io] tenebat de supradicto Roberto in monte de Canun ad usualem comparacionem. Ex dono ipsius Roberti de Abelon et concessione Willelmi filii sui et Roberti Lupelli, domini feodi, totam teneuram Johannis filii Hervei et Henrici filii Turstini, ita quod ipsi et heredes eorum eandem teneuram teneant de predictis canon[icis], faciendo eis redditus et servitia integre, que prefato Roberto inde faciebant, et unam peciam terre, quam Gervasius prepositus tenebat, et alteram peciam terre que sita est juxta culturam quam habent ipsi canonici de supradicto Roberto, que extenditur usque ad boscum ipsius Roberti. Ex donatione Radulfi de Planca, et concessione Johannis filii et heredis sui, et confirmatione Arnulfi Lexoviensis episcopi, totam decimam ipsius Radulfi de Planca. Ex dono Nicholai militis de Landa, et confirmatione Radulfi Lexoviensis episcopi, jus patronatus quod habebat in medietate ecclesie Sancti Petri de Landa. Ex dono Radulfi, filii Stephani de Fossa, ad petitionem et assensum ipsius Stephani, patris sui, jus presentationis quarte partis ecclesie Beati Petri de Landa. Ex dono Fulconis, filii Turulfi de Maigneio, concessione ipsius Turulfi patris sui et Ivette matris sue et Jordani fratris sui et Radulfi Lupelli domini fundi, terram apud Cachekienvillam in qua situm est exclusagium et molendinum eorum, et totam terram subtus le Baurenc et angulum campi superioris qui prefate terre conjungitur, et viam per terram suam ad molendinum, a parte bosci Sancte Marie et a parte domus Alveredi, tamen sine carreio, nisi ad opus molendini, tenenda ad firmam in feodo pro uno sextario avene annuatim persolvendo, sicut in cyrographo inde inter eos facto continetur. Ex compositione facta inter monachos Sancti Ebrulfi et prefatos canonicos Sancte Barbare super heremitagio de Rupe, unum modium bladi ipsis canonicis ab eisdem monachis annuatim persolvendum in grangia sita apud Noerium infra octabas prioris festi Sancti Michaelis, secundum quod determinatum est in munimentis canonicorum. Ex confirmatione Egidii Ebroicensis episcopi, et assensu et concessione Ricardi Abbatis de Turnaio, et voluntate Matill[idis] uxoris sue et Radulfi de Osmundivilla, et etiam assensu Roberti comitis Mellenti, domini sui, ecclesiam Beati Martini de Osmundi Villa et jus patronatus ejusdem ecclesie, secundum quod carta ipsius Egidii episcopi testatur. Ex dono Roberti comitis Legr[ecestrie], illos XL. solidos quos P[etronilla], uxor sua, ipsis canonicis in liberam et perpetuam elemosinam dedit, in redditu suo de Lira annuatim reddendos. Ex dono Henrici

de Novo Burgo, XXti solidos usualis monete annuatim in die Sancti Luce ewangeliste, in prefectura Novi Burgi in perpetuam elemosinam eisdem canonicis persolvendos, et quietantiam eorumdem in tota terra ipsius Henrici de omnibus rebus suis propriis, et pasnagium dominicorum suorum porcorum quietum in nemoribus ipsius Henrici. Item ex concessione et confirmatione ejusdem Henrici totam terram feodi sui de Feugé, quam tenebat Hugo de Caisnet[o] de Rasceo de Fougi, assensu quidem et petitione tam ejusdem Hugonis, qui eandem terram donavit, quam Rascei et heredum eorum. Quare volo et firmiter precipio quod supradicta ecclesia Sancti Martini et Sancte Barbare de Escαιοlet et canonici in ea Deo servientes habeant et teneant omnes supradictas donationes in libera et perpetua elemosina, bene et in pace, libere et quiete, integre, plenarie et honorifice, in ecclesiis et decimis, in terris et redditibus, in bosco et plano, in pratis et pasturis, in aquis et molendinis, in vivariis et stagnis, in piscariis et virgultis, in viis et semitis, et in omnibus aliis locis et aliis rebus ad eas pertinentibus, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis, sicut rationabiles carte donatorum testantur.

Testibus : Waltero Rothomagensi archiepiscopo, Henrico Baiocensi, Willelmo Constanciensi et Johanne Ebroicensi episcopis, Galfrido cancellario filio meo, Martino Cerasiensi et Petro Caddomensis abbatibus, Willelmo de Humetis constabulario, Willelmo Filio Radulfi senescallo Normannie, Sehero de Quinci, Hugone de Creissi, Willelmo de Mara, Thoma Bardulf, Ricardo de Canvilla, Hamone Pincerna.

Apud Burum.